DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
De TACTIS
FULMINE.

quam Conſenſu Ampliſſimæ Facult.
Menſ. Februar. Die 20. Horis ante & pomeridianis,
in Auditorio Majori habendam exhibent

PRÆSES

ACADEMIÆ KILIENSIS
H. T. PRORECTOR

JOH: DANIEL MAJOR, Ph. & M. D.
Anatom. & Botan. P. P. Revermi ac Sermi Dni
Epiſcopi Lubecenſis Medicus,

Et RESPONDENS

JOH. JACOBUS KISLING,
Zittavienſis Hexapolitanus, Med. Cultor.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Kiliæ Holſatorum,
Imprimebat Joach. Reuman, Acad. Typogr.
M. DC. LXXIII.

PRÆFATIO
Ad LECTORIS Informationem.

CERAUNOPLECTOS vel Tactos Fulmine, igneo illo iracundi Numinis gladio, Attonitos à *Celſo* Lib. 3. c. 26. in ſpecie vocatos, aut *ἐμβροντή-τους* græcè, exſpirare pleroſque è veſtigio, certum eſt. Quosdam tamen etiam, vi tanti *Sideris* afflatos, à *Stupore* ſuo, aut *Ecſtaſi* expergefactos iterum, experientia teſtatur. Cujus diverſitatis cauſa eſt diverſitas naturæ, Partium, & Motûs Fulminum: ut taceamus diverſitatem Naturæ, Ætatis, & partium, quæ in ipſo Ceraunoplecti corpore habentur. De quibus omnibus multa non inutiliter, ſi curioſi magnopere eſſe velimus, in medium proferri poſſent. Verum cum brevitati ſtudeamus, *quinque* ſaltem hîc ſequentia *Capita* propoſituri ſumus; videlicet hæc:

I. *Quænam & qualia vulgò in Ceraunoplectis notari Pathemata ſoleant?*

II. *De Modo agendi Fulminum in corpore humano: ac præſertim, an Lapis Fulminaris, communiter creditus, cauſis morbificis annumerari mereatur?*

III. *Quomodo Stupentes à Fulmine, à Medico ſint tractandi?*

IV. *Quomodo Ambuſtiones Ceraunia ſint curandæ? &*

V. *An ullâ arte Immunitas à Fulmine procurari poſſit?*

CAPUT I.

De Ceraunopathiæ potiſſimis Differentiis.

I.

AD primum itaque quod attinet, quibus Ægritudinibus *à Cœlo Tacti* communiter plus minùs afficiantur; imprimis hæ ſunt; quarum aliquas Anatome, in Mortuis, alias alia adminicula in illis, qui nondum planè mortui ſunt nobis oſtendunt; nimirum partim Morbi, partim Symptomata.

II. Ad Morbos partium Solidarum vel Firmarum pertinent e. g. *Obrigeſcentia Corporis* vel partium quarundam ipſius; *Maculæ lividæ*; *Empyreuma Sulphureum*; *Tumor Ambuſtivus* vel *Inflammatio* cum *Exulceratione externâ*; *Puſtulæ cutaneæ*; *Dilacerationes partium Molliorum*, & *Vulnera*; *earumvè Sphacelus aut Sideratio.*

III. *Per Obrigeſcentiam* totius corporis aut unius vel plurium partium, Artuumvè, fit, ut Homines iſtiusmodi, plus ſtatuam referant, quam adhuc viventes aut modo jam interfecti appareant; dum omnes aut pleræq; partes in ſitu ſuo conſtanter permanent, imò etiam planè inflexiles ſunt (veruntamen non ſemper). Aut ſi inflexiles ſunt; propterea tamen illorum hominum, qui ſubitò & totaliter à cauſâ internâ aliquâ, vel exteriùs, ab Aurâ quapiam ſubterraneâ erumpente, vel ſimili aliâ, vel merè Divina, in Lapides mutati ſunt, mentio non facienda.

IV. *Maculæ Lividæ* in quibus apparent, non ſunt profundæ; quas Stigmata Vibicibus Vexatorum ſimilia, etiam dicere poſſumus: & putamus, non, ut *Charleton* ſtatuit (*d. Fulm. p. 48.*) affectum eſſe ſulphuris craſſioris quod flammam conceperit jam, ſed nondum deflagrarit; ſed præve-

provenire ex ſideratione ſanguinis in ſuperficie corporis, vi Auræ acidæ, eundem coagulantis.

V. *Empyreuma, aut Odor Sulphureus porrò percipitur*; ſed non ſemper, aut in omnibus. Eumque pariter oriri exiſtimamus, non quidem à Sulfure aliquo Meteorico, à quo membra aut veſtes hominum vulgò putantur Contagium contraxiſſe; ſed multò magis ex vitiatâ Craſi particularum, ad texturam materiæ pertinentium; ſicque ad Dyscraſiam actarum; ut Exhalatio iſta Intemperiebus, & per conſequens Morbis, multo majore jure annumeranda ſit, quàm Symptomatibus Qualitatis mutatæ: quæ cæteroquin in Scholis medicis traduntur. Sunt enim iſta nil aliud, quàm hamartemata ipſius texturæ materialis; & nemo negaturus eſt, e. g. Febres, &c. conſiſtere pariter in Qualitate mutatâ: quas tamen nemo facilè Symptomata dixerit.

VI. *Tumor Ambuſtivus verò* vel *Inflammatio* (partium præſertim exteriorum) *cum Exulceratione, mox mox in Siderationem tendens*, oritur à vi cauſticâ & reſolutoria Fulminis citatiore in regione cutaneâ corporis, quàm ut partes illæ in Halitus converſæ, per Tenacitatem adhuc reſiſtentem cutis penetrare, diſcuti aut evaporare poſſint. Et *Exulceratio* complicatur, tàm ratione Salium Corroſivorum, quæ adſunt, vel inſunt Fulmini, quàm ratione proprii acoris, ad quem Salia ſiderati ſanguinis celerrimè in iſtis Caſibus rediguntur. De *Eſcharâ* inferiùs, cap. 4.

VII. *Puſtulæ Cutis* hoc magis ſuperveniunt, quo magis *Cauterium id Divinum* (Fulmen) Salibus acribus exaſperatur: ut ſerum ſanioſum ex glandulari cutis ſubſtantiâ & partibus contiguis prolectum, prius hincinde, tanquam per cuniculos cumuletur, quam cuticula exterior ejusdem dimenſionibus coëxtendi poſſit.

VIII.

VIII. Imò *Dilacerari interdum partes Molliores* ſub cute per ſerratam Fulminei Ignis vim, exempla minus deſunt; prout ſupracitatus *Charleton* (d. Fulm. p. 8.) Medullam Cranii oblongatam planè corruptam fuiſſe atque contuſam, ex Anatome Puerorum à fulmine percuſſorum obſervavit: Nervorumque nullum veſtigium, utpote vi Fulminis conquaſſatorum, aut per portam Vulneris (ut *Ille* loquitur) exploſorum foràs.

IX. Sicq; *Vulnera ac Vulnuſcula* cruenta, non cruenta; rotunda, longa, irregularia; calidaq; plus minus; in diſtinctis Caſibus notari conſtat. *Majolus* Colloq. 1. Dierum Canicul. ex *Plinio* quæſtionem inſtituens, Vulnera Attonitorum omnia frigida eſſe putat. Quod verùm eſt de iis, qui pluſculis horis poſt mortem à Fulmine palpantur. *Oſſa* quoque interdum *confringi*, & quomodo curanda ſint, vide apud *Hildan.* de Ambuſtis, c. 6.

X. Demum ut agmen *Morborum in Partibus Solidis* claudamus, reſtat jam adhuc *Sphacelus*, Νέκρωσις vel *Sideratio* partium; & *Corruptio* tam Sanguinis, extra Vaſa in Poris partium detenti, ac coagulati ab Aurâ acidâ Fulminis; quàm ipſarum Fibrarum, ad radicalem partis Texturam ſpectantium. Quod Pathema, prægreſsâ inflammatione præſertim, obſervatur in illis, qui directè à Fulmine Tacti, ſtatim moriuntur: & *Sideratio* ſpecialiſſimè dicitur: græcè σφακελὸς vel σφακελισμὸς, item ἀστροβολισμὸς, à Voce Aſtrum vel *Sidus*, uti vocabantur Canis cœleſtis & Calores Fulminei, qui radiante *Sidere* illo, accenduntur: Sphacelismus item arborum, aut Carbunculatio, cum exhauſtæ æſtivis caloribus, lethaliter nigreſcunt.

XI. Inter *Morbos Humorum* (qui vulgò, ſed minus con-

convenienter per Terminum Symptomatis Excretorum & Retentorum exprimuntur) eminet *Coagulatio* primùm, hinc *Sideratio* aut *Corruptio Sanguinis*; orta ab acido, abundantius ei miſto, ſicut ſpiritus acidi in venam ſectam infuſi, aut cum cruore mixti, eundem in abominabilem nigram Gelatinam citò permutant. A cujusmodi Sideratione Sanguinis Fulmineâ, præſertim in Ramis vaſorum majoribus factâ, difficilis ſuffocatio, & plerumque lethalis Syncope excitatur.

XII. *Ad Morbos verò Spirituum* pertinet *Anomalia Spirituum Cataleptica* vel *Motus eorum*, *per Nervos*, *omnimodè ſuſpenſus*, ut conſtricto undique ſanguine, partiumque perſpiratione tantiſper ſublatâ, Syſtema Nervorum debitâ ratione minùs perambulent; quin, deſerendo partes, Torporem in aliis tenſivum, in aliis non-tenſivum relinquant (undè Artus in aliis flecti poſſunt, in aliis etiam non flecti) quod Medici communiter per *Congelationem ſpirituum* exprimunt; ſed minùs aptè. Sic enim Cataleptici, nunquam redirent ad ſe. Dici poſſit: Spiritus per Nervos quidem tum non ferri; a Fluore ſuo tamen proptereà non deficere, & ſaltem in minimis circa axem proprium rotari.

XIII. Quale quid *ſi Spiritibus*, qui præſertim in Vaſis ſanguineis ſunt, accidit, pathema idem ferè *Ecſtaſis* dicitur; de quâ (& Catalepſi) porrò in hoc ipſo capite ulterius dicetur.

XIV. *Symptomata* enim Ceraunoplectorum nullatenus ſunt à nobis tranſmittenda, tanquam Signa præcipua, ex dictis Malorum fontibus peti ſolita. Eorumque graviſſima, *Apoplexia*, *Catalepſis*, *Ecſtaſis*, *Suffocatio*, *Syncope*, quæ omnia, in (pauculis inter ſe differentia) generaliſſima

ſima voce *Stuporis* vel *Conſternationis* exprimimus; cum in iis & Senſum, & Motum (animali-vitalem) & Munia Animi ſuſpendi, ipſorumque Actus (ad Tempus) tolli videamus; ac omnis malorum iſtorum vel Origo & Fons, vel Rivi inde ducti, eorumque diſperſiones, in Anomaliâ quadam Spirituum, Nervoſo Syſtemati debitorum, quærendæ ſint; magisque alacritas cordis à Cerebro, & Medulla Nervos rigante, quàm Cerebri vigor â Corde (Servo Servorum in Oeconomiâ Corporis) dependeat.

XV. Id quod quidem Opinioni Veterum; non verò *S. Scripturæ*, in quâ innumera penè, ad Medicinam ſpectantia exſtant, contrariatur, Ibi enim (*Eccleſiaſtæ. 12. v. 6.*) nervoſa admodum, elegantiaque reperiuntur verba hæc: *Antequam rumpatur Funiculus Argenteus* (h. e. labefactentur Nervi candidi) *& recurrat Vitta aurea*, (i. e. confringatur Cerebrum Tuum in Capite tuo, juxta Chald. Compluteņſ. apud *Pinedam*) *& conteratur Hydria* (i. e. Vas Lymphatico-Lacteum, Laticis Aquei, pro diluendo ſanguine, primicondum, ex Thorace ſupra Cor aſſurgens) *ſuper Fontem* (ſuper Cor) *& confringatur Rota* (& ſatiſcant Vaſa Sanguinis Circulatoria) *ſupra Ciſternam* (ſupra Cor): ſed hoc ex Ingenio Magn. DN. PRÆSIDIS obiter.

XVI. Seorſim, ut pluſculis de *Attonitorum Apoplexiâ* agamus, nón refert; ortâ ut plurimùm ex ceſſante Contractione Cordis, propter impedimentum Influxus Spirituum Animalium, ad partes quasvis, occaſione Terroris præcipuè, quo Spirituum Motûs potenter percelli conſtat.

XVII. *Catalepſi* correpti immobiles permanent, non ſolùm Oculis & ore apertis; ſed etiam alia eorum membra eundem Situm retinent; & tamen nec audiunt nec vident; aut minimùm non loquuntur. Non nulli

Manus

Manus movere viſi, ſuffragante *Jonſtono* (in Ideâ Med. Pr.) quosdamque impulſos ambulare, addit: quod ab Attonitis vix ſperes. *Congelatio* is Affectus vulgò dicitur, quaſi Spiritus in Glaciem ſint verſi: ſed minus aptè, refragante videlicet jam dictâ graduali Catalepticorum differentia; de quâ confer *Riverium* l. 1. Med. Pract. c. 4.

XVIII. *De Ecſtaſi* notandum; eam, quæ à Fulmine, *ſemiDivinam* vocari poſſe, cum olim (*Paulo Apoſtolo*) merè *Divina* fuerit; & paſſim innotuerint *Diabolicæ*. Frequentiſſima verò *Ecſtaſis* eſt *Naturalis*; generaliori nomine *Stupor*: conſiſtens in Suspenſione Senſuum, Motus, ac Mentis, ſine periculo vitæ & notabili indispoſitione partium; duransque non horas tantùm aliquot, ſed vel Dies duos, tres, aut plures: ut inde ſibi meritò cavere debeat Medicus in Prognoſtico Vitæ aut Mortis ferendo; & Magiſtratus, in concedendô aut ſuspendendô ſepulturam; etiamſi *Ecſtatici* Mortuis, quàm viventibus ſimiliores ſint. Nam & aliquos ab exſequiis & Stupore ſuo in vitæ Uſum ad ſuos rediiſſe, conſtat ex Hiſtoriis.

XIX. *Suffocatio* verò & *inexplicabilis Præcordiorum Anxietas*, quæ in aliis caſibus, vel à Sanguine concreto, inque Vaſis Pulmonum ſtagnante, vel ab Halitu Auſtero, Nervòs ac Muſculos, Reſpirationi dicatos, ſpasmodicè afficiente, in Ceraunoplectis verò à Sanguine nimium fluxo, oritur; Strangulationem & Syncopen lethalem facilè minatur. Ignei enim Halitus, Acore deſtituti, & asſumpti cum Aëre, (vel loco Aëris) faciunt, ut Sanguis juſtò tenuior factus, ex *Sylviana* Hypotheſi, Cor obruat; aut, ut tolerabiliùs loquamur, Expanſus & Rarior redditus. Calor enim, ut talis, *Fluxa Aquea*, non tam fluidiora reddit, quàm exhalantia; præcipuè excedens: Sed hoc iterum obiter.

 XX. *Mi-*

XX. *Minoris Momenti vel Acuminis Symptom.* , enumerata videlicet abſint, & Fulmen exſtiterit mitius, ſunt in aliquibus *Cæcitas* , *Obſurdeſcentia*, *Obmuteſcentia*, *Paralyſis*, *Lapſus in Terram*, aut planè *Translatio*, (citra læſionem intercedentem aliam) procul ad loca aliena.

XXI. *Cæcitas* & *Auditûs læſio*, fiunt ob vehementiam Fulguris & Fragoris. Quorum Motiones in Aëre, quò majores & inopinatiores, eò magis in Organa Senſoria operantur, quæ in inſtanti objectum illud ſenſile absque moleſtiâ vel damno, perferre nequeunt.

XXII. In *Aphoniâ* per Terrorem ſimiliter Spiritus animales à ſede ſuâ (Muſculis lingualibus) celerrimè retrahuntur.

XXIII. Vel *Paralyſi* correptam Manum, cujusdam Muſici, tacti Fulmine, memorat *Nobiliſſ. Dn. Febrius* de Abſinth pag. 58.

XXIV. Imò Cerauneplectos totos quantos, Victimæ inſtar *proſterni in Terram*, uſitatiſſimum eſt. Quod Ventis, qui Fulmen præcedunt, adſcribendum; dum etiam illis, qui Marti in Acie aut Obſidione ſerviunt, notum eſt, quòd ſæpè unus atque alter, non tàm à globo Tormenti ipſo, immiſſo ab Hoſtibus, in Terram proſternantur, quâm ſolum ab Aëre turbato, quem vis globi tormentarii propellit ante Se.

XXV. Aut denique planè *Aliorſum Translatum* quempiam è Viâ, quâ Lipſiâ Torgam itur, credere cogimur *Jonſtono*, qui tale quid, (*d. Admir. Natur. Claſſ.* 3. *cap.* 5. *p.* 105.) ex *Meurero* refert.

CA-

CAPUT II.

De Modo Agendi Fulminum in Corpore Humano: atq; an Lapis Fulminaris Cauſa Morbificæ Titulum mereatur?

I.

DIſtinctiusque jam inquiſituri, quinam & quotuplices ſint illi Modi, per quos, uti ex antèdictis patet, Fulmen poſſit tantam Vim in corporibus humanis exercere: *In Genere* experimur, illud Ens, (imperſcrutabile communiter habitum) eſſe indubiè ſubtiliſſimam, maximè mobilem, & penetrantem Subſtantiam aliquam.

II. *In Specie* verò, pro Scopo præſenti pathologico, Fulmen in hàs, ipſum conſtituentes, Partes dividi poteſt: in *Igneos* nempè, *Aërios*, *Sulphureos*, *Salinos*, & (ſi quis genus quintum addere cupiat) *Occultos* qualescunque, *Narcoticos*, aut *Venenoſos Spiritus*; omnesque hos, ineffabilibus Atomorum myriadibus diſperſos antea per Atmoſpæram; ſed ad componendum irati Numinis Telum, in unâ Regione Aëris plus, quàm alterâ, & præſertim intra Nubem conglaciatam geminam, alteram alterâ altiorem, tanquam in torculari coarctatos, indeque deorſum exploſos; aut rectius, diſploſos in ſupernis, & diſſipatos iterum, ſed ſucceſſione Homogeneorum celerrimâ propagatos ad nos, non ſecus, imò rapidiùs, atque longa pulveris pyrii ſeries brevi accenditur. Cujus Extremitas ſi Mœnia quandoque & Arces è ſedibus ſuis diruat, quis impetum dixerit, à primo Incenſionis puncto factum eſſe? Ita neq; ad Fulminis percusſivam Vim requiritur, ut præcipitaverit ſe, aut deſcenderit à Summis.

III. *Spiritum Frigorificum*, Congelaſcentiæ aut Rigiditatis

 tatis

tatis catalepticæ Autorem, difficulter admittimus.

IV. Et juxta diverſas Congregationes, Combinationesque dictorum Spirituum, diverſi & ſtupendi ſæpe, imò contrarii ac præpoſteri Fulminum in certâ Materiâ Effectus, (undè multis Occaſio ad Superſtitionem data eſt) indubiè oriuntur; cum etiam in Arte dentur Solutiones Metallorum penè momentaneæ, & Liquatio eorum per Salia certi generis, facilior reddi poſſit.

V. Sed neque de his (Miris ſæpè Fulminum Effectibus) ulteriùs dicendi locus eſt; nec de *Effluviis* etiam rerum *aliis*, contubernio licet Fulminis fruentibus aliquo, & per Aërem diſperſis, ut ſola eorum Nomina ſufficiant; *Aqua* nempe, *Terra*, *Seminalia Plantarum*, (*Minorum* præſertim) ac aliarum rerum *Principia*, *Spiritus occultus synantipatheticus*, operationum in diſtans vector; & *Aura* qualiscunque *Ammoniacalis Balſamica*, *Spiritus* dicta *Hippocrati* (Libr. d. Flat.) quâ clam videlicet per Pulmones ac Poros nutriamur &c.

VI. Potentiſſima Fulminum Pars nos lædens, indubiè *Ignis* eſt, vi dilatatoriâ ſanguinem rarefaciens; undè Vaſa enormiter extenduntur, & Spiritus Nervei dispelluntur, ut Cor vim ſuam amittat, neque Syſtolen & Diaſtolen habeat, ſubitòque graviſſima Syncope oriatur.

VII. *Aëris Spiritus* verò, quatenus Attonitos faciat, ex *Elaſticâ* illius Vi, ita ſe res habet: Dum in *Supernis* intra duas Nubes Fulminea Fax accenditur, Ignis is propter ingentem Vim ſuam dilatatoriam, rarefacit primò maximos Tractus Aëris circumflui. Hi dilatati, & preſſi ſimul ab Atmoſphærâ, Vim duplicatam accipiunt, tantoq; vehementius Inferiori Aëri incumbunt: &, dum ſemel accenſum Fulmen, inſtar Ignis Erratici Sclopetarii, deorſùm

tùm continuatur, tantò magis ſimiles Fluctuationes, dilatati compreſſique Aëris, verſus Inferiora multiplicantur, ut in Imis omnia evadant vehementiſſima, Mœnia & Arces contremiſcant, Tecta & Arbores, ipſiq;, ad quos Procella hujusmodi, aut Spiritus Vertiginis pertingit, Homines, inſtar Victimæ, & ſuperius dictum eſt, proſternantur.

VIII. *Sulphurei & Olidi Aëris Halitus*, ſicut Fomitem amicum Igni præbent; ſic tantò ferventiorem in Homine reddunt Sanguinem, Spiritus Balſamicos ejus deflagrare faciunt, Ambuſtiones fervidiſſimi commatis, Empyreuma, & Siderationes in Cute & Carnibus relinquunt, proliciendo è perſpirabili Texturâ Corporis Oleoſas particulas, easque etiam ad Furorem quaſi redigendo.

IX. Atque non minùs *Salium*, ad inviſibiles minutias redactorum, undique magna in Aëre reperitur copia. Quorum quædam ſi nimis Acida ſint, Sanguinem ad congelaſcentiam mortiferam diſponunt; ſi Nitroſa, adeoque magis compoſita, ex Acido videlicet, Lixivioſo, ac oleoſo, exerunt Vim Cauſticam, Puſtulas excitant, imò Necroſin & Corruptionem Membrorum accelerant, & ab Igne Fulmineo adjutæ, non minùs dilacerant Partes intimiores varias in Homine, quàm externè impingentes in Metallum aliquod, illud momento liquefaciunt, ſicuti aliàs Metalla varii generis & Reguli Metallici à Nitro addito, Sulphure, Tartaro &c. citius quàm à ſolo Igne, fluida redduntur.

X. Denique de *Incognito* quodam, *Narcotico*, aut *Obſtupefactivo Spiritu* Aëris, Fulmen præcedente, Spiritibusque Animalibus in Nobis, Cerebro, ac Nervis peculiariter infeſto, ſibi perſuadet *Charleton*, (pag. 44.) ab illoque Vinum in doliis concreſcere, & venenoſum reddi putat.

In quo negotio nos quidem nunc liberum unicuique Judicium ſuum reliniquimus.

XI. Sed antequam hinc diſcedamus, de *LAPIDE FULMINARI*, *Saetta* Italis (*Sagitta*) dicto, in cujus figuris & exemplaribus Autores, & ipſa rerum ſelectarum Conclavia, valdè diſcrepant, quid dicemus? Anne Concretum præcipuè id pro potiſſimâ in Attonitis *Ægritudinum causâ* habendum eſt? prout inter 100. Bibliothecas difficile Autorem uuum invenias, qui vel ſeriò ſatis, vel confidenter ſatis Se oppoſuerit recepto tantoperè Figmento.

XII. Quod proinde ut ullâ efficaciâ tandem, tanquam Hoſpitem indignum, ex Pathologiâ Medicâ expellamus; Hæc Erudito Lectori conſideranda ſuggerere conceſſit *Magnif. Diſputationis Præſes*: (1) Natura, ut hominem cœlitùs feriat, non opus habet Cuneo Lapideo; quia multò ſubtiliora, imò ſubtiliſſima Corpora ipſi in promptu undique ſunt, (de quibus dictum eſt,) & ideò penetrantiora. Corpus enim quò Craſſiùs & Obtuſius, hoc breviùs penetrat. (2) Muros & robuſtisſimas Quercus, cœlitus fiſſas conſtat, nullo in fiſſuris eorum Saxo tali ſuperſtite invento. (3) Dicis, profundiùs iviſſe? Ubi tandem Motus illius deſiit? Aut forſan transivit ad Antipodes, vel in infinitum? (4) Aut fortè reſiliit? Cur ergo nudus jacens in ſuperficie Terræ nuſpiam repertus? (5) Aut ſicubi è Terrâ fortè effoſſus traditur, (in quâ tamē citra dubium pridem genitus fuerat, cum Lapidibus, multò mirabilioris Figuræ aliis, quo Indicio patet, fuiſſe præcisè illum, qui cœlitus fuerit lapſus? præcipuè poſt Annos aliquot? quo Tempore demum tales dicuntur inveniri. (6) Aut quis lapidem talem cœlo vidit deſcendere, uti quidem de ſe Avicenna gloriatur? de quo verò rectè Gaſ-

ſendus

ſendus miratur, qui ſine periculo id vidiſſet. (7) Aut quis delabentem in abdita Terræ eſt comitatus? (8) Dumque Lyncurii, (Lapides Cylindrici, digiti Magnitudine) etiam accenſentur Petris Fulmineis; quorum plus quam ducentos ex ſolo Littore Kilienſi collectos *Magnif. Præſes* ſervat: mirum eſt, quomodo eò devenerint, quorſum Fulmina rariſſimè impingunt? (9) Chelonitæ pariter, qui ſubrotundi ſunt, utrinque in Ambitu quinque Radiis inſcripti. (10) Etiàm Lyncuriorum, quàm Chelonitarum Exempla habentur, qui continuatam cum Silicibus Corneis ſubſtantiam habent, in iisq; arctisſimè, ut gemmæ in matricibus ſuis, hærent. Undè cum iis natos, non aliundè illapſos, liquet. (11) Lapides Fulminares plerique glaberrimi ſunt, ſine Fracturæ indicio ac Inciſuris. Quales tamen facile quis poteſt ope Cultri infligere. Mirum verò, per Rupes & Salebras actos, non contraxiſſe Sulcum. (12) Contra; in Hominibus à ſævisſimo etiam ictis Fulmine, Vulnus nunquam conſpectum, Figuræ lapidis conveniens: imò pluſculas Partes corporis humani interiores Fulmine conſumptas conſtat, Vulnuſculo, vix Piſi aut Lentis magnitudine, foris apparente. (13) Sic & interiora Ædium per fornices aut feneſtrarum rimas, illæſis iisdem, per Tabulata item, non raro Fulmen tranſiit, & ſubtus varia liquavit, ſtravit, diruit, nullo evidente tranſitus ſui veſtigio relicto. (14) Neq; etiam rectà deorſum aut perpendiculariter; ſed valde obliquis, curvis, ac ſpiralibus Motibus Fulmina pleraq; feruntur. (15) Atq; ſi etiam omnia ſic ferrentur, nil Lapidem juvaret Altitudo Caſus, ſi nempè hæc Sphærâ Activitatis rei pellentis major ſit; prout Sclopetum aliàs, ex quo globus plumbeus per Horizontalem Lineam fertur ad 2000. pedes, ſi perpendiculari-

ter

ter deorſum exploderetur ex Altitudine 4000. pedum, certisſimum eſt, ubi 2000 Pedes deſcendendo circiter complevisset, communicatam ſibi à pulvere pellentem Vim ibi amitteret, & nativâ gravitate per reliquum ſpacium fertur. Pulveris virtuti enim propemodùm perinde eſt, ſive globus plumbeus antrorſum, ſurſum, aut deorſum pellatur. Atque, quamvis in Fulminationibus magnis, unum aliquod Fulmen principale ſit, idque rectâ deorſum vergat, minoribus reliquis pluribus ſine noxâ in Aere exſpirantibus: hoc Perpendiculare tamen, in rem ſolidam impingens, actutum inflectitur aliò; nec tamen lapis invenitur. (16) Sed &, ubinam Vis tundens in Aëre, quâ ſolidum Corpus detrudatur? Dicis? premi à Gravitate ſuperioris Aëris? Regeritur: Quis Majoribus noſtris Gravitatem Aeris, (hodiè perſpectam,) revelavit? imprimis verò Aer ab omni parte Lapidis transflueret. Et Impoſſibile eſt, ut tantilla Aeris pars, quæ ad poſticam partem Lapidis ſpectaret, confluens ibi ad replendum ſpacium (Rei Solidæ) deorſum tendentis, propellat Illum etiam; quia proportio nulla eſt, in parvis iſtis Dimenſionibus, inter Raritatem Aeris, & Lapidis Soliditatem. Aut lanâ inpoſterum poterimus ferrum cudere. (17) Demum nec generari poteſt in Aere, ut Magni Nominis *Medico, Petro Johanni Fabro*, & ſubtili cæteroquin *Philoſopho Carteſiano*, *Henrico Regio*, (quod mirum) placet. Nubes enim (etiam glaciatæ) continuò à Ventis agitantur. (18) Et inter rariſſima ponitur, Solidum aliquod generari momentaneò. (19) Quam primum verò in Aere generatus eſſet, ſtatim decideret, nec impulſivâ alterius Vi haberet opus. (20) Sed hoc omnium ineptisſimum eſt, dicere, Lapides Fulmineos Vi Tempeſtatum ex abditis Terræ excuti, inque

altum

altum evectos, impetuoſè dein cum Igne Ætherio delabi.

XIII. Cujusmodi Argumenta, *ex nullo Autore tranſſumpta*, quin potiùs in conjuratâ penè hucusque Credulitate Seculi, à *Magnif. Præſide* inventa, ut fortiùs moveant, & Petram Cuneumvè Fulmineum *in Scholâ Medicâ*, *ex Ordine Cauſarum Morbificarum* in Exſilium perpetuum amandent, *conjunctim, non divulſim* ſpectanda ſunt. Alioqui quædam eorum transire potuisſemus ſilentio; prout diverſæ aliorum Opinioni nullatenus hic invidemus.

Cap. III.

Quomodo Stupentes à Fulmine, & jam ſemimortui, ſint tractandi?

I.

Superiùs (Cap. I. §. 14.) dictum eſt, quòd in aliquibus inter ſe differant *Apoplexia*, *Catalepſis*, *Ecſtaſis*, *Suffocatio*, & *Syncope*. Sicut verò contrà in multis, imò præcipuis conveniunt, in ſuspenſione Mentis videlicet, privatione Senſuum & ſpontanei Motûs, inque Spiritibus ac Nervis quaſi omnibꝰ, primariò aut ſecundariò affectis, & reſultante exin præſentaneo Vitæ periculo: ſic ejusmodi pathemata in *graviter-attonitis*, nunc plura, nunc pauciora, (niſi omnia), communiter complicantur; ut inde de generaliori vocabulo diſpiciendum fuerit: quod nobis eſt *Stupor*, *Conſternatio*, aut *Ecſtaſis*, generalisſimè ſic dicta.

II. Curatio ut tantò feliciùs & meliùs, quoad ejus fieri poteſt, perficiatur; præprimis opus eſt, Medicum, *Signis Digagnoſticis* Morbi probè perceptis, item Cauſæ Continentis, Partium Affectarum, & inde hauſtis *Indicationibus*, *ſe Prognoſtico* munire, neque in tam repentinis

 caſibus

Caſibus nimis audacem, & in promittendâ Curationis certitudine, temerarium ſe oſtentare. Nam Experientiâ teſte, pleriq; Attoniti, ſi non illicò, tamen paulo poſt exſpirarunt; & Famæ Medici conſultiſſimum eſt, ejusmodi Perſonas, tanquam deploratas, tractare, & manifeſtato *Prognoſtico* Curationem diligentisſimâ operâ aggredi, cùm notum ſit, ejusmodi exſtare Fulminatorum Exempla, qui Tempus dein aliquod vixerunt & curati ſunt. Quam in Rem confer Exemplum ſuprà, (Cap. I. §.23.) allegatum ex Dn. D. *Febrio*: *Foreſtum* (Lib. 10. Obſ. med. 69. in Scholio) *Majolum* (Colloq. 1. Dier. Canicular. p. 15.) *Charleton*, (d. Fulm. p. 42.) *Alexandrum ab Al*: (Lib. I. Gen. D. cap. 9) *Borellum* (Cent. 2. obſ. Med. 38.) & *Benivenium*, præſertim de Abditis Morborum & San. Cauſis (Cap. 23.) qui Patrem & Filium ad ſeptimum uſque diem ferè, Apoplecticos ex Fulmine manſisſe; ſed adhibitis Remediis, iterum ad ſe rediisſe, & convaluisſe memorat. Vide etiam *Annum II. Ephemer. Curioſ. Germaniæ* Obſ. 37. p. 66.

III. Quæ ſanè exempla ſufficere posſunt, ad monendum quemvis Medicum Chriſtianum, ne Fulminatum, ad quem vocatur in Tempore, ſoli, quod dicitur, *Prognoſtico* relinquens, omni deſtituat Auxilio, etiamſi manifeſtò ſatis Res deſperata videatur utplurimum, & Locum præcipuè habeat *Prognoſticum* ab *Hippocrate* (2. Aph. 42.) de Caſibus aliis prolatum: *Solvere Apoplexiam Fortiſſimam*, (in quâ videlicet omnimodè ceſſat, nec revocari poteſt Strictura Cordis) *impoſſibile*.

IV. Et hoc eò magis, ſi interiores quædam Partes conſumptæ, concuſſæ, aut laceratæ ſint; ſi Ambuſtio profunda adſit, aut integrum Latus, pluresvè Partes Corporis occupet: Si Sanguinis Concretio magna, inq; Vaſis majoribus

joribus acciderit, ut Medicamina non poſſint quaquaverſum eniti: Si jam frigeant omnia in toto Corpore; quales tamen Apoplecticos quosdam aut Ecſtaticos præſertim, Syncope gravi, Peſteque detentos, Hyſtericas item, Suſpenſos, & Epilepticos, ſepulturæ jamjam deſtinatos, aut actu ſepultos, ad Actum ſecundum Vitæ rediiſſe, Hiſtoriarum Fide conſtat. Quam in rem confer. *Cl. Dn. D. Velſchium* (Epiſagmate Obſ. med. 100.) *Schockium* (d. Ecſtaſi p. 137. 138.) noviſſimeque diligentiſſimum *Garmannum* (de Miraculis Mortuorum Lib. 1. Titul. 3. §. 8.) ut hinc *ſtupentes* talismodi ante decurſum minimò LXXII. Horarum Terræ tradendi non ſint.

V. Atque inter *Signa Spei alicujus* præſertim referri meretur *Calor* qualiscunque, perceptibilis adhuc in Corpore: Item *Motus Auræ*; vel *Obſcura* ſubcutanearum *partium palpatio*; ex quibus *iſta* admotu candelæ ardentis, lanæ carptæ, Plumæ, Speculi nitidi, ante Nares ac Os; *hic* in Apoplecticis, notante *Montalto* (de Morbis Capit. Tract. 18. c. 8. p. 796.) Poculo aquæ pleno, quod ſupra ventriculum ponatur, arguitur.

VI. His prælibatis ordo poſtulat, ut de Mediis, ipſaque Curatione, tàm in ipſo Paroxyſmo Stuporis, quàm paulò poſt, ſimus ſolliciti.

VII. In Paroxyſmo itaq; præprimis curandum eſt, ut corpus Fulminati veſtimentis ſuis (præſertim Empyreuma redolentibus) liberatum, in locum calidum & lucidum transferatur, atque aliquantũ, ſed modicè, agitetur. Quæ omnia eo tendunt, ut Indicationi Vitali, quoad Inventionem Poſtremæ, ſed exſecutu hic Primæ, ſatis fiat, tantopere periclitantes Vires omni meliori modo reducantur, & Spiritus Sanguinis ac Medullarum, ad priſtinam ſuam a-

gilitatem, ab exitiali ſuo Stupore reſuſcitentur.

VIII. *Frictiones Cutis* hinc indè, præcipuè Extremorum, adhibitis calidis asperisque pannis, ſæpius repetitæ (exceptis locis Ambuſtionum), valdè conducunt.

IX. Et dum ejusmodi Ægri, Os neque claudere, neque aperire, multò minus aliquid deglutire poſſunt, illicò *Os* ipſis, ſi occluſum ſit, *Cochleari Argenteo*, vel alio quodam Inſtrumento, *effringendum*, illique iteratò efficax *Aqua* Vitæ quæpiam, Carſunculi, Anhaltina &c. *Vinum* generoſum, Theriacale, *Elixir* Cordiale penetrantisſimum, aut *Oleum Aromaticum* (ſimplex aut compoſitum), cum Spiritu Vini aut alio confuſum aut circulatum, guttatim aut Cochleatim (pro diverſitate Liquoris) per Infundibulum, aut Tubulos Infuſorios in imas fauces, aut minimò ad Papillares ibi linguæ Eminentias, infundenda, & Labia iisdem, ac Nares diligenter fricandæ ſunt.

X. Imò *Nervina validiora*, uti ſunt: Tinctura Caſtorii, Spir. Cochleariæ, & Urinoſi variæ originis, præſertim Salis Ammoniaci Volatilis, dictis *Naribus* illinenda, aut Goſſypio iteratò inſerenda, &, (quod circa Spiritus valdè volatiles optimum eſt) in aperto Vitro, anguſti colli, ab aliquo adſtantium firmiter admovenda ſunt.

XI. *Tempora* & *Vertex* Balſamo Rutæ, Apoplectico variorum Autorum, additis Guttis Olei Succini, inungi posſunt. Et *Celeberrimus Jonſtonus* (ni fallor) alicubi Apoplexiæ Remedium habet, *Cucurbitulam Capiti* imponendam; quæ *Inunctionibus Verticalibus*, (quarum magna in ipſis *Sacris* eſt Autoritas) præmitti posſit.

XII. Et *cutim* hinc inde reliquam corporis, maximè ſubaxillarem, in præcordiis, &c. rigare, fovereque convenit, Vino Theriacali ante-dicto, aut Aquâ Articulari,

vel

vel ſpirituosâ, ex ante-enumeratis, aliâ; vel Decocto Vinoſo Angelicæ, Leviſtici, Rutæ, Chamæmeli, Baccar. Lauri, & ſimilum rerum Aromaticarum, potenterque discutientium, admiſcendo in ipsâ Adminiſtratione, aliquid Spiritus Theriacalis, C. C., aut ſimilis; & aliquoties id præſtando calidè, prægreſſâ identidem calidâ Partium Frictione.

XIII. Quod ſi proin Attonitus utcunq; ad ſe redierit, atq; jam Ore hiare, & reſpirare incœperit, tempeſtivũ eſt, præmisſo *Clyſtere* Emolliente, vel *Glande* acutiore, *Venæ Sectionem* in brachio, ſemel aut iteratò, (interjectis interim Medicaminibus mox dicendis) tentare. Id quod in corpore robuſto, juſtæque Ætatis tantò faciliùs obtinebitur. Scopus iſtius Rei eſt, ut Sanguis antea ſtagnans, ſpacium ſe movendi liberius capiat, & *Medicamina* per eum feliciùs ſe diffundant; danda cochleatim dein per vices, maximeque (quantum ad Formam) fluida; ratione verò Virtutis ac Scopi, *Cephalico-Cordialia* ſic dicta, vel *Nervina*, *Sudorifera*; aut citra Sudoris ſucceſſum etiam, talia ſaltem, ut ope Spirituoſi Volatilisque ipſorum Salis, (ſimplicis aut Oleoſi vel Aromatici) celerrimè, quaquaverſum in corpore diſpergantur, Acidum Sanguinis, Coagulationis Autorem, ſenſim infringant, & ſi quid Auſteri præterea adſit, temperent, viſcidum diſſolvant, halituoſum disſipent, pulſationique Cordis & Arteriarum robur novum & incrementa addant.

XIV. Quo nomine non immerito prædicanda eſt *Aqua* Cinam: & Citri cum Eleoſach Cinam. & Spiritu Theriacali Simplici, ope Julebi Roſarum vel Sirupi Rubi Idæi aliquantulum temperata: *Aqua Vitæ Matthioli*, Apoplectica variorum Autorum, Anhaltina ante laudata & me-

ritò laudanda: *Liquor Diaphoreticus Mynſichti*, quèm Autor, tanquam ad ipſas Medullas penetrantem, evehit, à drachmâ ß. ad Drachmas ij, in Aqua Card. Bened. C.C. &c. ſumendum; *Spiritus* Cordis Cervi, *Nobiliſſ. & de Re medica omni fidelisſimè meriti Dn. D.* ROLFINCII, *Præceptoris quondam mei perpetim porrò Venerandi*; quem deſcribit *Lib.3. Chim. ſect.* 1, *Articul. 3. cap.* 3. & plura egregia Medicamina alia.

XV. Vel Recipe Aq. Fœnic. Cinam. Puleg. ana unc. j. Apoplect. cum Caſtor. drach. v. (*Caſtoreum* enim, ut conſtat, inter Nervina in Suffocationibus ferè præcipuum eſt) *Aceti* deſtillat. drachm. 1 ß. (ut nempè ex Hypotheſi ingenioſâ *Sylvianâ*, faciliùs Acido, intra Venas peccanti, uniatur, & reliquis viam ſe diffundendi, liberiorem faciat,) *Oculor. 69.* præp. Scrup. ij, vel loco horum, Antim. diaphor. Mumiæ ver. aut Sperm. Cet. ana ſcrup. j. (*Oculi Cancr.* tamen præſtant ferè, utpote Sale volat. abundantes, ſuffragio laudati *Dn. Fr. de le Boe Sylvii* Lib. 1. Med. pr. c. 40. §. 30. egregiaque Cruorem diſſolvendi, & Gangrænam, jam partibus obſcurè impreſſam, obliterandi vim habentes) Elæoſacchar. Mentæ aut Cinnam. Scrup. j. Spir. Theriacal. ſimpl. drachm. 1 ß. Sirup. de Cortic. Citr. unc ß. Miſc. f. *Potiuncula*, cochleatim manè, (ac veſperi in duplo) ſumenda.

XVI. Vel minùs grata palato, efficacior tamen futura eſt hæc; Rec. Aq. Citr. Unc. ij. Theriacal. ſimpl. unc. j. Vitæ Mathiol. Anhaltin. Sirup. Menth. ana unc. ß. Tinctur. Caſtor. Scrup. ij, Spir. Theriacal. drachm. j. Spir. Salis Ammoniac. volat. Scrup. ß. Miſc. (vel poteſt, mutatis mutandis, aliquid *Salis volatil. C. C.* Cryſtallini, nitidisſimi, penetrantisſimique, quod Pharmacopoliis hujus loci tandem innotuit, commiſceri.)

XVII.

XVII. *Iſtiusmodi* Medicamenta, ut dictum eſt, utiliter, ſemel aut iteratò factâ Venæſectione, dari posſunt; ſicut in hanc rem ſupra nominatus *Charleton* (pag. 42.) enarrat, quod Cephalica Medicina poſt V. S. per vices data, Seni cuidam profuerit, per tres dies à procellâ Fulmineâ conſternato.

XVIII. Utque non minùs Inflammationes Externæ & Dolores ſiſtantur, quàm interiùs metuendis à Cruore, inæqualiter diſcerpto, obſtructionibus (præter ſcopos hucuſque memoratos) obviam eatur; ſimilis alia *Miſtura*, Aperientibus temperata, circa ſubſequas noctes præſertim deguſtanda, parari poterit, e. g. ex Aqua Fœnicul. Petroſelin. Anhaltin. Sirup. de 2. vel 5. radic. aperient. Spir. Theriacal. ſimpl. & *Laudano Opiato* liquido, convenienter, ad *Paracelſi* ductum, per Fermentationem facto.

XIX. Primis verò ſtatim diebus *ad Opiata* interna confugere, antequam de Fluore ſanguinis utplurimum reddito, ex Pulſu & actionibus aliis certiores ſimus, haut conſultum videtur; ob diſſipatricem, ac dilatatricem *Vim Opii* (correctisſimi etiam) maximam.

XX. *Externa* ſuperiùs enarrata, hisque ſimilia, præter uſum internorum, nonnunquam iterari poſſunt. Quibus nominatim annumerantur *Inunctiones calidæ*, in *Nuchâ ac Spinâ* factæ, ſiquidem hæ arrideant, ad ductum illius Monachi Cappuccini, qui Catalepſi iteratò tentatus, inunctione tâli malum ſæpius avertit, ut refert *omni laude & opprobrio major, ſeculi noſtri Æsculapius, beatus Dn. D. Sennertus* (Lib. 1. c. 2.) Paral. ad Med. Practic.

XXI. Ne tamen, durante Curatione, Ciborum ſimus immemores; qui, poſt Confortantia Medicamenta, velut alterum Fulcrum ſunt, ad ſuſtentandas labefactatas

Vires;

Vires; initium tempeſtivè, quoad ejus fieri poteſt, capiendum eſt à *Juſculis* reſtaurantibus, primùm tenuioribus, hinc ſenſim ad Solidiorem formam tendentibus: E. g. *juſculo*, carnium, incoctis eidem Endiviâ, Acetoſâ, & modicâ parte *Seſelios*: Cujus virtutes Aperitivas, & balſamicas reliquas, vide apud *Schrœderum* adductas) Hordeaceo item, flavedine & Acetoſitate Citri leniter temperato, &c. *Ovisq; ſorbilibus*, loco Salis, aliquid Salis volat. C. C. ante.laudati, cum Eleoſacch. Cinnam. inſpergi poteſt.

XXII. De *Purgationibus* futuris Medicus præſens viderit; ni modo identidem inſonare auribus noſtris debeat illud *Foreſti*: *Omnes ſanantur in Cathedrâ, multi moriuntur in Lecto.*

Caput IV.

De Regimine Medico Ambuſtionum à Fulmine.

I.

SEcundum, in quo Prudentia Medici, in Attonitis, Palæſtram, alacriter ſeſe exercendi, invenit, eſt *Ambuſtio*, aut partium externarum Corporis, Vi Ignis Siderei impreſſa Exulceratio Inflammatoria, niſi quid pejus conjunctum habens.

II. Sunt enim hæ duæ *differentiæ* â Medico, antequam Curationem actu ſuſcipiat, probè notandæ; & inde petenda diverſa Vitæ aut Necis *Prognoſtica*, diverſæ ad medendum *Indicationes*, & mutatio *præſidiorum* inſtituenda.

III. (1) *Combuſtio* alia eſt vel *Univerſalis*, ſed (à Fulmine quidem) rarò: aut ſi fortè aliquando alicubi fiat, tunc curatio deſperata eſt, ob ſuffocationem hominis in tali ictu lethaliter ſtatim concurrentem. Alia *Particularis*, Lateris alterutrius (quales itidem pleræq; lethales ſunt)

aut

aut pauciorum partium; quæ Curationem quando que aliquam admittunt, præſertim in ſubjectis firmioribus aut temperatioribus. Minùs verò in Cacochymicis, ubi Ulcera putrida facilè emergunt.

IV. (2) *Ratione Graduum*; alia eſt *Levis* & curatu facilior, quæ Epidermiden & cutim ſolùm occupat; &, ſiquidem Piloſam anteà, glabram deinde linquit, ardorem ſuperficialem & dolorem complicatum habens: aliæ *mediocres*, imò *Inſigniores*, quæ etiam ad Muſculos, Venas, Arterias & Nervos ſe extendunt, carneque aduſtâ, Cutim nigram facientes, ſenſum ejusdem potiùs obtundunt: quoque profundiores, eo periculoſiores exiſtunt, quoniam per illas Vaſa occluduntur & contrahuntur, pars magna ſyſtematis perſpiratorii interni graviter læditur, & degeneratio iu Sphacelum facilè metuenda. Tùm & in cute Turpes cicatrices relinquuntur.

V. *Mediocrem* exempli loco hic ſumamus, in quâ, Medicus modis ſubſequentibus ſeſe geret; præſuppoſito præſertim, quod Attonitus â Conſternatione ad ſe iterum redierit, & affulſerit, ratione Virium ejus, aliqua ſpes Salutis.

VI. In quo caſu *internè Bezoardica* aut *Sudorifera*, Sanguinem congelatum reſolventibus temperata, præmiſſis (capite præced. dictis) præmittendis, frequentanda; & poſtquam Vires magis magisque conſtiterint, uſus *Pilularum* e. g. de Aloë Roſatâ cum Cryſtallis Tartari, Scammonio Sulfurato &c. & ſimilium; interjiciendus eſt, ad blandè laxandam alvum, & vitandam ulteriorem Collectionem Humorum in partibus ambuſtis. *Maturationi & Mundificationi ulceris* promovendæ, (de qua in ſequenti mox mox) præter jam dicta Sudorifera, non fru-

ſtra etiam ſequens pulvis ex aqua Cerefolii & Card. Benedict. vel Florum Acaciæ, ſuppeditari poteſt. E. g. Rec. Ocul. Cancr. præpar. Scrup. j. Antimon. diaph. (vel Terr. Sigill.) Pulv. Bezoard. *D. Sennert.* (vel C. C. Solar.) ana gr. xv. Sal. volatil. C. C. albiſs. gr. vj. Elæoſacch. Cinnam. gr. iiij. M. f. *Pulvis:* dividatur in 2. vel 3. partes æquales, totidem Noctibus aut matutinis ſummis dandas.

VII. Primaria verò pars Curæ, *in Externorum* uſu conſiſtit, quæ omnia Tepida aut calida applicari debent; &, ne Dolores magis excitentur, Adſtringentia tum ſunt maximè fugienda. Quin id potiùs agendum, ut *Empyreuma* quantocyus, vel Reſolvendo tollatur, vel per Repellentia *ſuffocetur*, quò minùs nempè, (quod aliàs in Ambuſtione leviori facilè fieri poteſt) cuticula à Cute abſcedat, ac puſtulæ, ulceraque profundiora excitentur; prout *Celſus* etiam (lib. 5. cap. 27.) *Puſtularum prohibitionem* expreſſè urget.

VIII. *Tollitur* itaque *Empyreuma* per *Epithemata*, Unguenta, & Linimenta varii commatis; Unguentum Album Camphoratum: vel juxta *Botallum*, (d. Vulner. Sclop. c. 21.) *Oleum* Olivarum, aut Amygdal. amar. cum vel ſine Sale. *Cepæ* imprimis cum Sale, Vitriolo aut Nitro contuſæ, additâ, ſi placet, Fuligine, & modico Camphoræ laudantur. Vel *Epithema* ex partibus ij. Ceparum, & unâ Vernicis liquidæ, quod jam citatus *Botallus* etiam commendat. Simili modo *Paulus Barbette*, Autor imprimis utilis (part. 2. Chir. lib. 3. c. 6. pag 205.) Linimentum aliquod celebrat, ex Succo Ceparum, Sapone Veneto, Adipe ſuillo, Terebinthina, &c. ac huic ſimile *Hildanus* (d. Ambuſt. c. 6.) quod Empyreuma potenter extrahit, ac nullas Puſtulas elevari permittit; videlicet hoc; Rec. Cep. crud.

unc.

unc. iß. Salis, Saponis Veneti alb. an. Unc. j. cum Oleo Roſar. & Amygdalar. Dulc. Miſc. in Mortario. A Cepis tamen, Sapone, & Acribus aliis, Chirurgus abſtineat, ſi pars tenerior, e. g. Facies, Pubes &c. ſit læſa. Aliud Linimentum ex Butyro, ſtercore gallinæ recenti, &c cujus ope pauper Miles dives factus fuerit, vide apud *Barbettum* L. d. Liquefacto ei, impoſitoque folium recens Brasſicæ aut Plantaginis ſuperimponendum.

IX. *Suffocatur Empyreuma per Repellentia* vulgò dicta; pro quâ voce de Termino aptiore cogitandum aliâ vice erit. Hic verò Rei ipſius reſpectum potiorem habentes, admittimus quidem ea, ne nimis liber aditus Sanguini fervido pateat; ſed modò ne nimis fortia, uti ſunt *Succ.* ſempervivi min. cum Album. Ovi, & Mucilag. Cydon. &c. ne Sanguis plus coaguletur; neque in Ambuſtionibus ad nigredinem cutis uſque: alioquin verò Chamæmelo Rom. Bolo, Terra Sigill. Argilla fornacum, & moderatè Reſolventibus aliis, acidum peccans abſorbentibus, caſtigata, uſque dum Dolor & Calor in parte evanuerit. De *Dolore* Ambuſtorum vid. *Hildanum* d. Amb. c. 11.

X. Hicque *Dolor*, in Ambuſtione ſaltem leviculâ, acerbisſimus & pungitivus, præterquam quod ſi nimis moleſtus ſit, mitigari poteſt *Linimento* ex Ol. olivar. vel Roſar. Unc. ß & Album. Ovi Unc. ij. cum ſpatula lignea ad Unionem miſtis, addendo Sacchari Saturn. q. v. & pennâ ſæpius illinendo; imprimis mitigabitur alio, quod apud eundem *Hildan.* (d. Amb. c. 7.) exſtat: *Rec. Butyr. rec. Unc. ij. Ol. Amygdal. dulc. de Vitell. Ovor. an. unc. ß. Croci, Opii an. Scrup. ß. Camphor. Scrup. j. Mucilag. Sem. Cydon. Unc. j. Miſc. f. unguentum.*

XI. Ceſſante aut mitigato Dolore, ſi *Puſtulæ* o-

mnimodè tamen vitari nequierint, aut ſtatim eruperint per vehementiam Ignis fulminaris, ut iis cutis inſletur; Acu ſunt aperiendæ, ut Ichor collectus effluat, nec moram aliàs nactæ, putridum ulcus ſubtus alant, turpemque Cicatricem relinquant ex Mente *Hildani* (de Amb. c. 4.) cui quis quidem contradicere posſit, èx *Barbetto* & *Botallo*; ſed facilè conciliari posſunt.

XII. *Apertis Puſtulis* ad reprimendos humores, h. e. Affluxum eorum impediendum, partemque roborandam & *Inflammationes* vel præcavendas vel mitigandas porrò deveniendum, & ad *Defenſiva* vel *Intercipientia*, Chirurgis dicta; quæ à *Repellentibus* antè dictis reſolventium Miſturâ temperatis, ſolo ferè nomine diſcrepant; & non tàm præcisè parti affectæ, ut repellentia, quam *viis proximis per quas Humor defluit*, verbis Magni *Sennerti*, (Lib. 5. Inſt. part. 2. ſect. 1. c. 21.) *adhibentur*. e. g. (in Caſu Attonitorum) Oleum Roſar. vel Butyrum recens non ſalitum, bolo ac fuligine, ſi placet, & guttulis aliquot olei deſtillati Chamæm. Rom. temperatum; *Unguent* Baſilic. *Emplaſtrum* de Sperm. ranar. & ad Rupturam; vel Saccharum Saturni, cum Aqua Roſar: & omnium florum, addito Spiritu flor. aut Baccar. Sambuci, vel Theriacali, ſimpl. aut Camphorato, ſuperimponitur; aut circumvolvitur ipſis linteum Oxycrato intinctum & ſufficienter expresſum. *Vel. Rec. Lethargyr. Ceruſſ. Thuris, Maſtich. an. unc.* ß. *coq. in Acet. & Vin. an.* ℔j. *Ol. Roſar. unc.* j. *miſc.* calidè ope lintei applicetur, pro defenſione; ex *MSCtis* quibusdam *Celeberr.* Dn. D. ROLEINCII in *Manuale Schoenborneri.*

XIII. Quamprimum Affluxus Humorum fervidiorum ad partem remiſerit, id quod ex detumeſcentiâ ejusdem roborisque ac Doloris abſentiâ cognoſcitur, *De-*

fenſiva

fenſiva iſtiusmodi ſunt removenda, ut ſpiritus nutritii eò promptiùs influant, & *Eſchera*, ſi adſit, ſeparetur.

XIV. *Eſchara*, inquam, ἡ ἐσχάρα Græcè, vel *Cruſta*, aut Congelamen ſiccum ac durum, ſuper Ulceris ſuperficie innatum, *Scarrha*, ſed minùs aliàs ſuetè *Vigierio* (lib. 3. Chirurg. c. 31. p. 252.) Quæ in Attonitis ex vehementiore Combuſtione oritur; ſi intra triduum ſponte decidat, aut *Unguentis* eâ *Emollientibus* obtemperet, bonum; ſin minus, ulcus ſub eâ profundius fit, ac putreſcit. Undè ſcalpello potius exſcindenda. *Unguentum* ad Combuſtiones, (hoc Morbi tempore), præſtaniiſſimum, quod & emollit, & dolorem lenit, & paulatim *cicatricem* inducit, ex Butyro in aqua roſar. loto, oleo Oliv. de Vitell. Ovor. & Amygdalarum dulc. Farinâ item Hordei, Croco, Mucilagine Sem. Cydon. & Cerâ, vide apud ſepè laudatum *Hildan.* d. Ambuſt. c. 7.

XV. Sed ad *Epulotica* vel *Cicatricem inducentia* non prius deveniendum deinde eſt, quàm remotâ Eſcherâ, ulceris cavitas à Pure ſit affatim mundata. Unde, niſi Pus maturrimum ſit, indicantur *Maturantia* illud, Extergentibus leniter ſubacta; hinc *Abſtergentia*; & utrobique *Alexipharmaca* addenda. Iſtiusmodi *Abſtergentia* ſunt. e.g. *Succus* recens Plantaginis, Abſinthii; *Pulvis* Myrrhæ, Maſtichis; *Mel* Roſatum; & congruè parata quædam ex *Tabaco* digniſſimâ illâ Chirurgorum Panaceâ, ſi modò omnes ritè intelligant. *Unguentum Ægyptiacum*, quia nimis acre, vel omittendum, vel mitioribus ſufficienter temperandum.

XVI. *Sphaceli* veſtigium aut periculum ſi ſubſit, eidem etiam, ne radices agat, ratio habenda. In jam-dicto *Unguento Æg.* Exſtinctione *Calcis vivæ*, & Pelliculâ diverſi

D 3 colo-

colore, Eidem innatante, multum laudis ſitu   n eſt.

XVII. Hinc demum de *Cicatrice* ducenâ, ulcereque claudendo cogitandum, per *Sarcotica*, e.g. *Unguent.* d. Alabaſtro, Diapompholyg. & præcipuè *Succum* Cancrorum fluviatilium, admiſto tenerrimo *pulvere* Turis, Maſtichis, & modico Mellis ſimpl. aut roſati. Vel elegantius *unguentum* in omnibus Combuſtionibus (hoc ſcopo) præſtantisſimum apud *Hildan*. (de Ambuſt. c. 8.) vide, ibi: *Rec. Emplaſtr. palmei. unc.* ij. &c.

XVIII. Et tandem ſequantur potentiùs *Siccantia*, ſed non potentisſimè; ne cutis præcipitanter nimis contracta rugoſior fiat, & Cicatrices fœdas contrahat. Inter *ſiccantia* externa *Lactis Lunæ* minimè eſt obliviſcendum; de quo *Magnif. Dn. Præſes*, ante Annos aliquot hic peculiarem Diſſertationem publicæ Luci dedit.

XIX. De *Cosmeticis* ad complanandas Cicatrices inventis; deque iis, quæ peculiariter circa Curationes *Ambuſtionum* Faciei, *Oculorum*, *Ventris*, & *Inguinis à Fulmine*, non inutiliter adduci potuiſſent, brevitatis ergò vix addere quid poſſumus: quin proximè ad finem totius opuſculi hujus properamus.

CAPUT V.

De Infulminabilitate, an ullo artificio parandâ?

I.

QUod itaque jam reſtat; quanta felicitas communiter æſtimatur, Mala præſentia præteritavè ſuperaſſe; tantæ ſolertiæ & Prudentiæ eſt, futura rectè declinare, & artificioſa in promptu habere præſidia, quæ efficaciter aliquem contra futuras adverſitates tueantur.

II. Atq; ſic voluit quidem OMNIPOTENS Fulminis

nis uſum, ad coercendos Mortales, ab omnibus ſeculis *Sibi* ſoli reſervare: per nativam tamen *Cordis noſtri Audaciam & Timiditatem* (Jerem. Cap. 17. v. 9.) factum eſt, ut Fulminis quædam æmulatio in Terris adinventa ſit; ſed & nemo tam firmi pectoris ſit, qui exaudiens proximè, aut penes ſe, *Fulmen ſidereum*, ad impetum ejus non exhorreſcat penitus, & quærens quorſumcunque effugium, libenter uti velit *Præſidiis Prophylacticis*, modo probatiſſima eorum aliqua exiſtant.

III. Quo Titulo etiam multa venditantur. Sed jamjam patebit, Solidi quid ineſſe pauciſſimis: Veriſimilitudinem habere itidem haud multa; reliqua verò plurima; fictitia, vana, aut ſuperſtitioſa eſſe. Quorum omnium tractandi modos in tres Claſſes dirimimus.

IV. *Prima Claſſis* in *Electione* aut *Adhibitione Rerum* quorumpiam conſiſtit. Et quidem *Lapidis Fulminaris* ante omnia. Qui geſtatus, aut domi ſub tecto aſſervatus, uti habet *Evax, Rex Arabum* (de Gemmis) neminem lædi à Fulmine faciat; interprete *Mabodæo*:

Qui caſtè gerit hunc, à Fulmine non ferietur;
Nec Domus, aut Villæ, quibus adſuerit Lapis ille.

Sed nullius Entis, ut ex ſupra (cap. 2. §. 12.) allatis abundè conſtat, nulla etiam ſunt merita, *Præſidiis Prophylacticis* adſcribi. Quæque traduntur de tutelari ſimili vi *Chelonitæ* ac *Brontiæ*, de *Hyacintho*, deq; *Carneolo*, cui inſculpta ſit imago Hominis, manu gladium tenentis; itidem fabuloſa partim, partim penitus ſuperſtitioſa ſunt. Nec *Tiberio Cæſari*, ſi ſupereſſet, *à Laureâ Coronâ*, auxilium efficax. *Laurum* enim, ut alia multa, cœlo utique tactam, *Vicomercatus*, *Sennertus*, *Majolus*, *Sachſiusq;* docent. *Ficumque*, ratione amaritucinis (proh quanta perſuaſio!) eſſe infulminabilem, credidit *Rhodiginus*. Nec de *Herbis* aut *Candelis* Die feſto luſtratis, addam quid; ne Pontificii ob Disparitatem Religionis ſaltem, à nobis rejici talia, id malè ferant. *Animalia* verò quædã Ceraunoplecta non fieri, certum eſt: eorum

rum

rum enim aliqua', Tempeſtatis præſaga, in loca ab aëre turbido diſſita ſe recipiunt. Sicque *Phocam* vel *Vitulum Marinum*, cujus Anatomen *Magnif. Dn. Præſes* ſuperiùs publicè habuit, *Hianam*, aut *Aquilam* nominare velle potiùs, quam ulla Bruta alia; vel Securitatis ergò, *Phocarum Pellibus* Lecticas, Tentorias ſternere, & cum *Auguſto*, illasdem ſecum portare; nihil ſolidæ rationis habet.

V. *Secundam Claſſem* in *Prohibitione* & *Evitatione Rerum* certi generis conſtituimus. Inque iis, paulò plus ſubeſt veriſimilitudinis; excepto *Regno Angliæ*; in quod ſe velle recipere, quod Fulmina ibi nunquam fuerint viſa vel audita, ut aliqui tradunt, Eventus contrarii gnarus fiet. *Auffugium tamen in Cellas aut Cryptas ſubterraneas*, pleroſque ſecuriores reddere asſolet. Quantumlibet nec ſemper. Antiqua opinio viguit, fulmen non altiùs, quam V. pedes in Terram penetrare. Imprimis verò tutiores præſtant nos, ſi vitemus & amoliamur, quæ Igni Fulminati accenſo, pabulum inutilum obviam mittere familiarius ſolent; *ut Capras, Canes, Feles*. *Pulvis Pyrius* Sympathiam pariter cum Fulmine quod habeat, intra muros ab ædificiis aliis diſtantiores, rectisſimè ſervatur. Et prudenti Conſilio, cum Tempeſtas Fulminea ingruit, in Patria mea, locisque vicinis, *Ignis* in foco actutum extinguitur. Contra alteribi faciunt, Ignemq; potiùs accendunt; quo interdum Eventu, ipſi experiantur.

VI. *Tertia* interim *Claſſis* in *Mutatione Rerum* aliquâ conſiſtit, videlicet *Aëris*; cujus Ventilatio, & in eo exiſtentium Fulminis alimentorum discusſio, disgregatioque tentatur *Campanarum Majorum* frequenti *pulſatione*, in multis Germaniæ locis ſolitâ; & *Tormentorum Bellicorum* Exploſione.

VII. Omnium verò certisſimum, Saluberrimum & Probatisſimum *Fulminis Remedium* eſt, *Mutatio Animi* impii in pium, & *Preces*; non quidem ad Fulmina, aut Fulgetras, ut olim; ſed ad DEUM ipſum fervidè directæ, ut tum Igneum illum Iræ ſuæ gladium; cœleſti Manu fabricatum, tum Fulmina Belli Terreſtria, quæ cladem minantur Gentibus, gratioſè procul à Jugulo noſtro arcere, & dispulſis discordiarum Nubibus, gratam Pacis Auroram aliquam, niſi plenum inconcusſæ Tranquillitatis Solſtitium periclitanti Toti Europæ largiri velit. FIAT!